

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0390

0388

0394

0384

0399

0379

0439

0339

0489

0289

0889

377

die pacis foedera inter nos firmavimus et individui amici et fratres facti sumus unumque cor et anima in Domino.

Post meridiem venit Trutschelmannus, quem non videramus in nostris tribulationibus, et videns nos exhilaratos et paene sanatos abiit et camelarios cum camelis, asinarios cum asinis adduxit, volens nos jam educere, sed nos nullo modo acquievimus et verbis ac responsis satis impolitis et duris diximus sibi, quod nobis hac die esset festivitas solemnitas et jam feriatum essemus, nec fas esset, nos hac die sacra de loco moveri. Diximus etiam sibi, quod multis diebus in illo loco invitati fuisset, nunc autem hac die ob honorem beatae Virginis nequaquam recedere vellemus. Ad haec fuit vir male contentus et camelarii et asinarii et cum murmure a nobis (b) recedebant, dicentes, quod ultra diem crastinum nollent amplius manere, non obstante quacumque nostra dispositione.

Sequentem diem nonum quaere Folio 26. b.

Descriptio Palaestinae regionis et quot modis dicatur Palaestina.

Antequam a terra sancta recedamus in desertum, ipsam civitatem Gazam describam cum provincia ejus Palaestina. Palaestina in sacra pagina tribus modis invenitur: quandoque enim ponitur pro tota terra sancta, ita, quod Jerusalem cum montanis suis Palaestina nominatur. Et ita in vitis patrum saepe invenitur; sic etiam tota terra sancta nonnumquam nominatur Syria, quia tam Judaea quam Palaestina sunt Syriae magnae partes.

Secundo quaedam pars provinciae Galilaeae dicitur Palaestina juxta montes Gilboae.

Tertio frequentius dicitur Palaestina regio maritima, quae est sub montibus Israel, quibus ab oriente clauditur, et mari magno ab occidente, ab aquilone monte Ephraim, ab austro terminatur in Gaza. Et haec pars proprie dicitur Palaestina. Isidorus de Palaestina: Lata regio est, cui ab oriente mare rubrum accurrit, in meridiano latere Judaea excipitur, a septentrionali plaga Tyriorum finibus clauditur, ab occasu mari magno et Aegyptio limite terminatur. Olim vero dicebatur

Ende

Anfang